



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

**Fargna, Francesco de
Montisfalisci, M.DCC.XVII.**

Lectori Benevolo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72191](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72191)

LECTORI BENEVOLO.

UTILITATI meæ potiùs, Amice Lector, quàm alienæ prospiciens, in unum quasi locum redegei singulos Canones de Jurepatronatus, qui sparsim tam intrà, quàm extrà Corpus Juris Canonici vagantur; Nimirum omnes Canones *Decreti Gratiani, Decretalium, sexto Decretalium, Clementinarum, Concilii Tridentini, Bullarum, sive Constitutionum Apostolicarum, & Regularum Cancellariæ*, materiam Jurispatronatus concernentes; sub unoquoque Canone suam conclusionem deduxi, quàm Doctorum Sacræ Rotæ, & resolutionum Sacræ Congregationis Concilii auctoritatibus, nec non rationibus pro viribus confirmavi, ac sub unaquaque conclusione quamplures Casus differui. Materiam hanc patronalem, in sex partes placuit dividere; Prima Pars continet septem Canones *Decreti Gratiani*, Casus autem quinquaginta, & octo, Secunda Pars complectitur Canones *Decretalium* 31.; Casus verò 135. Tertia continet Canonem Unicum *Sexti Decretalium* casus sex, Quarta comprehendit duos Canones *Clementinarum*, Casus decem, Pars Quinta amplectitur Canones Sacri Concilii Tridentini tresdecim, Casus triginta; Pars denique sexta continet Canones viginti quinque desumptos ex Bullis, sive Constitutionibus Apostolicis, & ex Regulis Cancellariæ, Casus verò viginti octo.

Ad hujusmodi opus publicæ censuræ exponendum numquam adduci potuissem, nisi desiderium proficiscendi in materia, & Doctrina Canonica, cujus semper studiosus fui, ad hoc me impulisset; Accessit etiam Amicorum suasio, qui laborem privato commodo susceptum, aliis non omninò inutilem fore judicarunt. Scio me multos fecisse Judices, inter quos fortassè non deerunt, qui hosce meos labores, ac primos ingenii fetus carpent, & qui eosdem uti juvenili ætate conceptos immaturè in lucem editos suspicabuntur: sed legant, qui velint, qui nolint, negligant; magis enim, ut Hieronymi verbis utar, paucorum charitate provoco ad studium, quàm multorum detractio, & odio deterreor. Interea benevole Lector, si quid boni in hoc opere reperies da laudem Deo, à quo omne Bonum; si quid autem mali invenies, mihi parce, nec enim ulli sinè venia placuit ingenium. Vale.